

Kreis  
Lüdinghausen

S. 32

1273 August 29.

[1

Bernhard von Gesmold, Ritter, schenkt dem Kloster Herzebrock das Haus Westdorp in Drensteinfurt (vergl. Schwieters „Bauernhöfe“ S. 230 und Osnabr. II.-B. III, 495).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, Bernhardus miles dictus de Gesmele, omnibus in perpetuum. Ex approbata multorum consuetudine noscitur a prudentibus introductum, ut moderni temporis ordinatio ad perpetuam rei geste memoriam bene firmetur testimonio litterarum. Hinc est quod futuros scire cupimus et presentes nolumus ignorare, quod nos in restaurum proprietatis domus cuiusdam in Olden Melle site abbatisse et conventui in Hersebroke pertinentis, per patrem nostrum pie memorie Ludolfum militem dictum de Gesmele ad Osnabrugensem ecclesiam in episcopalis mense videlicet orberam cum aliis bonis suis infra ipsam dyocesim constitutis translate, proprietatem domus cuiusdam dicte Westdorpe in villa Stenvorde super Drenum site abbatisse et conventui in Hersebroke iam predicto cum heredum nostrorum consensu libere et absolute contulimus et per presens scriptum conferimus ab ipsis iure perpetuo possidendam. In cuius rei evidens testimonium et robur perpetuum presentem paginam super hoc confectam iam sepedicto conventui sigilli nostri munimine contulimus roboratam. Datum et actum Monasterii anno Domini M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LX<sup>o</sup>X<sup>o</sup> tertio, ipso die Decollacionis Johannis Baptiste.

Orig. Loc. 18 Nr. 17c.

Dreieckiges Siegel des „Ludolf“ Gesmelle (nicht des Bernhard!) lose bei; vergl. Westf. Siegel IV Taf. 148, 1.